Si vero omnino abſit, examinet Judex, ubi ſit, induciis[1] *datis, intra quas ſi non occurrat, ſecundum unam partem examinato negotio mittet actorem in poſſeſſionem rerum ejus juxta*[2] *menſuram declarati debiti*[3]. *Quod ſi redeat*[4], *antequam proſequatur cauſam, reſarciat actori omne damnum: præſtabitque fidejuſſorem de lite proſequenda, & res ſuas ſuſcipiet.*

Miſſo uno ex creditoribus in poſſeſſionem ex primo decreto, cæteri venientes debito modo, & congruo tempore, videntur in poſſeſſionem miſſi. Bald.

10. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

CUm apud veteres quæſtionem ortam invenimus ſuper pecuniis debitis, pro quibus hypothecæ non ſunt conſtitutæ, propter res ad debitorem pertinentes, dum is ſeveriores creditores formidans, ſeſe celaverit, & illi de rebus ad eum pertinentibus competentia ingrediantur judicia, poſtulentque in poſſeſſionem rerum ſeſe transmitti: ſi[5] etiam alii creditores, quibus obnoxius eſſe videtur, poſſint quandam habere communionem in rerum poſſeſſione: hujuſmodi dubitationem amputantes, cenſemus per præſentem divinam generalem conſtitutionem, Ut ſi non omnes hujuſmodi debita prætendentes, ſed ex his certi ab judiciali ſententia in poſſeſſionem rerum mittantur, non ſolum hi, ſed etiam[6] alii omnes talia debita prætendentes, eadem commoditate potiantur, ut poſſint cum prioribus rerum detentatoribus communionem habere in rebus, de quibus (ſicut ſuperius declaratur) prolata fuerit ſententia. Quid enim juſtius eſt, quam[7] omnes, qui ad res debitoris mitti debent, eſſe participes hujuſmodi commoditatis? Ut autem non in perpetuum aliorum negligentia illi, qui pro ſuis debitis alacriores creditoribus aliis oſtenduntur fuiſſe, prægraventur: rectius nobis eſſe videtur, tunc communionem habere in poſſeſſione rerum alios creditores, qui non hoc peregiſſe noſcuntur, cum præſentes[8] quidem in una eademque degentes provincia, in qua & poſſeſſores rerum commorantur, intra duorum annorum ſpatia, abſentes[9] autem intra quadriennium creditoribus poſſeſſionem antelato modo detinentibus ſuum debitum certum[10] faciant, & expenſas[11] ſecundum quantitatem debitorum perſolvant eis, qui ſententias conſecuti ſunt, per ſacramentum[12] eorum manifeſtandas, qui eas adipiſcendæ gratia poſſeſſionis rerum ſuſtinuerunt: quia & ſecundum debita ſatis eis fieri, explorati juris eſt. Poſt[13] completum autem memoratum tempus, nullam eis eſſe licentiam eos, qui poſſeſſionem adepti ſunt, moleſtare, vel aliquibus damnis afficere: actiones autem, quas ex legibus ſibi competere putaverint: contra ſuos exercere debitores. §. 1. Sin autem hi, qui detinent poſſeſſiones, vel ex ſententia judicis res vendiderint, vel alio quocunque legitimo modo omne jus, quod in iiſdem rebus habere noſcuntur, in alias perſonas poſt definitum a nobis[14] tempus transtulerint[15], & certas pecunias acceperint: quicquid ſuperfluum inventum fuerit, & amplius quam eis debetur, hoc modis omnibus neceſſe eſt eos præſentibus tabulariis ſignare, & in cimeliarchio[16] ſanctæ Eccleſiæ illius civitatis, in qua hujuſmodi contractus celebratur, deponere: atteſtatione videlicet prius per memoratos tabularios conſcribenda: præſente etiam eo, qui res eas vendiderit, vel in alias perſonas transtulerit, ut per eam manifeſtetur tam quantitas pecuniarum, quæ pro venditione rerum, vel translatione præſtitæ ſunt: quam earum, quæ ſuperfluæ poſt diſſolutum debitum inveniantur: ut ſi quis poſtea creditor apparuerit, & debiti cautionem oſtenderit, poſſit ex his ſatis ſibi facere: prius ſcilicet Rectore provinciæ ſine aliquo damno cauſæ faciente examinationem, & non concedente nec viros reverendiſſimos œconomos, vel cimeliarchas[17] ſanctæ eccleſiæ, in qua pecuniæ deponuntur, aliquod detrimentum, vel diſpendium ſuſtinere: per ſuam autem interlocutionem creditorem præcipiente ſecundum modum debiti ex depoſitis pecuniis ſuum accipere debitum. Ut autem non liceat creditoribus in [venditione, vel] translatione rerum, dolum, vel aliquam machinationem, vel circumſcriptionem facere: jubemus atteſtationem ſuper hoc celebrandam, apud Defenſorem locorum, geſtis intervenientibus, inſinuari, ſive tantum ex pretio, quantum debetur, ſive plus, ſive minus colligitur: & præſentibus non tantum (ſicut dictum eſt) tabulariis, ſed etiam viro reverendiſſimo cimeliarcha[18]: Apud quem (ſi ita contigerit) ſuperfluæ pecuniæ ſignatæ deponendæ ſunt: jusjurandum[19] ſacroſanctis evangeliis propoſitis venditore, vel translatore rerum præſtante, *quod neque per gratiam emptoris, vel ejus ad quem res jure ceſſionis transferantur, nec aliquo dolo interveniente minorem juſto pretio rerum quantitatem acceperit, ſed eam, quam revera cum omni ſtudio potuerit invenire.* Dat. 15. Kalend. Novemb. *Conſtantinop.* poſt conſulatum LAMPADII & ORESTIS virorum clariſſimorum anno ſecundo 532.

TIT. LXXIII.

DE PRIVILEGIO FISCI[20].

Res paraphernales uxoris non obligantur fiſco ex mariti primipilaris officio. Salic.

1. Imp. ANTONINUS A. Eutropiæ.

BOna mariti tui ſi ob reliqua adminiſtrationis primipilariæ[21] a fiſco occupata ſunt: res; quas tuas[22] eſſe liquido probaveris, ab aliis ſeparatæ tibi reſtituantur.

Mulier & fiſcus in tacita hypotheca paribus paſſibus ambulant. Bart.

2. Idem A. Valerianæ.

QUamvis[23] ex cauſa dotis vir quondam tuus tibi ſit condemnatus, tamen ſi priusquam res ejus tibi obligarentur, cum fiſco contraxit, jus fiſci cauſam tuam prævenit. Quod ſi poſt bonorum [ejus] obligationem rationibus meis cœpit eſſe obligatus, in ejus bona ceſſat privilegium fiſci[24]. PP. 14. Kal. Novembr. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

Uxor ſolvens fiſco pro marito, non ſuccedit in hypotheca fiſci, niſi ceſſa ſit actio. Bald.

3. Idem A. Julianæ.

SI cum pecuniam pro marito ſolveres, neque jus fiſci in[25] te transferri impetraſti, neque pignoris cauſa domum vel aliud quid ab eo accepiſti, habes perſonalem actionem: nec[26] poteſt præferri fiſci rationibus, a quo dicis ei vectigal denuo locatum eſſe: cum eo pacto univerſa, quæ habet habuitve eo tempore quo ad conductionem acceſſit; pignoris jure fiſco teneantur. Salva igitur indemnitate fiſci debitorem tuum pro pecunia, quam pro eo fiſco ſolviſti, more ſolito convenire non prohiberis. PP. 3. Kal. Jan. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

4. Idem A. Quinto.

SI debitor cujus fuiſſe fundum ipſe confiteris, prius[27] eum diſtraxit, quam fiſco aliquid debuit, inquietandum te non eſſe Procurator meus cognoſcet: nam etſi poſtea debitor extiterit, non ideo tamen ea, quæ de dominio ejus exceſſerunt, pignoris jure fiſco potuerunt obligari. PP. 3. Kal. Jul. LÆTO II. & CEREALE CONSS. 216.

Fiſcus poteſt revocare pecuniam alii creditori ſolutam ſine uſuris. Bart.

5. Imp. ALEXANDER A. Mennæ.

PEcunia quam creditor a debitore ſuo recepit, ſi poſtea ex juſta cauſa fiſco reſtituenda[28] erit, ſine uſuris debetur[29]: quia non fœnus contractum[30], ſed ſuum recuperatum extraordinario[31] jure[32] aufertur[33]. PP. 15. Kal. Jun. FUSCO, & DEXTRO CONSS. 226.

6. Imp. GORDIANUS A. Severianæ.

CUm patrem tuum fiſci debitorem fuiſſe demonſtres, eumque nubenti[34] tibi poſſeſſionem dediſſe alleges: Procuratorem jus fiſci exequentem eam jure pignoris revocare potuiſſe intelligis. PP. Non. Jun. SABINO, & VENUSTO CONSS. 241.

7. Impp. VALER. GALLIEN. AA. & VALERIAN. C. Diodoro.

SI[35] in[36] te jus fiſci, cum reliqua [ſolveres] debitoris, pro quo ſatisfaciebas, tibi competens Judex adſcripſit[37], & tranſtulit: ab his creditoribus, quibus fiſcus potior habetur, res quas eo nomine tenes, non poſſunt inquietari. PP. 15. Kal. Jun. ÆMILIANO & BASSO CONSS. 260.

1 Induciæ dantur abſenti. 2 Non in omnia bona, ut olim. *l.* 1. *ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ.* 3 Quo nomine etiam expenſas & damna intellige. 4 Contumax reverſus re integra, rerum ſuarum poſſeſſionem certa lege revocat, *ut hic.* 5 *Si,* pro *utrum.* 6 Si creditorum unus miſſus fuerit in poſſeſſionem ex primo decreto, ejus miſſio proderit omnibus aliis creditoribus præſentibus, & intra biennium venientibus & debitum oſtendentibus, & expenſas pro rata refundentibus: abſentibus vero ſi intra quadriennium venerint & ſuperiora præſtiterint. 7 *l.* 12. *ff. de rebus autorit. judic.* 8 De creditoribus præſentibus. 9 De creditoribus abſentibus. 10 De qualitate debiti. 11 De præſtandis expenſis. 12 Miſſus in poſſeſſionem jurat de expenſis. 13 Intra quod tempus creditores admittuntur adverſus miſſum in poſſeſſionem. 14 Hæc verba *a nobis*, Alciatus expungit 1. *diſpunct.* 19. 15 Miſſionis utilitas alteri cedi poteſt. 16 *Cimeliarcho*, quidam etiam ita legunt, & male: de cimeliarchio adde *l.* 20. §. 1. *J. de agricolis & cenſit. lib.* 11. *tit.* 47. vid. quæ dixi ad *l.* 9. §. 6. *ff. de pœnis. Novell.* 74. *c.* 4. §. 2. *l.* 30. *C. de epiſcopali audient.* adde Theophilum *in* §. *ſacræ.* 8. *Inſtitut. de rerum diviſione.* 17 *Cimeliarchos*, *Nov.* 40. *in præf.* §. 1. 18 Cimeliarcho, hunc quidam vertunt theſaurarium. 19 Vid. quæ dixi ad *l.* 6. §. 4. *ſupr. de his qui ad eccleſias.*

20 Adde *lib.* 10. *tit.* 1. *J.* adde *L.* 49. *D.* 14. *Synopſ. Baſil.* 7. *tit.* 6. *ex tit.* 9. His adde Everardum in Topicis *loco* 61. a fiſco ad Eccleſiam & piam cauſam: in *loco* 62. a fiſco ad dotem: in *loco* 63. a fiſco ad minores: in *loco* 64. a minoribus ad fiſcum: in *loco* 65. ab Eccleſia ad fiſcum. 21 Id eſt, adminiſtratæ annonæ. 22 Propter dotem non dotales. *l.* 4. *J. in quibus cauſ. pign. tacite.* dixi ad *l.* 2. *C. ne uxor pro marito.* Res paraphernales uxoris fiſco non obligantur ex mariti primipilaris officio. 23 Tacita hypotheca fiſci & dotis, pari jure cenſetur, ſi quis prius debitor fiſci factus ſit, ita ut ei bona ipſius obligarentur, ac deinceps uxorem duxerit, ita ut dotis quoque nomine ſint obligata, fiſcus dote potior eſt. ſin e contrario dotis nomine prius obligatus fuerit, dos fiſco præfertur, *ut hic. Synopſ. Baſil.* 9. *tit.* 5. *ex tit.* 9. *c.* 2. Itaque mulier & fiſcus in tacita hypotheca pares, & ideo qui prior eorum fuerit tempore, potior erit jure. Pares enim, privilegii ratione, privilegiati ad jus commune rediguntur. vid. *l.* 12. *J. qui potior. l.* 9. *C. de jure dot.* Dos & fiſcus denique in tacita hypotheca paribus paſſibus ambulant, *ut hic, l. dotis tuæ.* 9. *C. de jure dotium. Nov.* 91. *c.* 1. uterque (fiſcus ſcil. & mulier) tacitam hypothecam ſuis ex contractibus habet. *l.* 2. *J. in quib. cauſ. pignus tacite contr. l.* 1. *l. aufertur.* 46. §. *fiſcus.* 3. *ff. de jure fiſci. l. unica* §. 1. *C. de rei uxoriæ act. l. ult. C. de pactis conventis. l. aſſiduis.* 12. *J. qui potiores.* §. *fuerat.* 29. *Inſt. de act. c. ex litteris.* 5. *extr. de pign.* Et proinde ſi inter ſe concurrant, præfertur is eorum qui prior tempore fuerit. *hac l. & d. l. dotis* 9. Quemadmodum ergo fiſcus non præfertur prioribus & anterioribus expreſſam hypothecam habentibus. *l. ſi fundum.* 4. *J. & l. ſi pignus.* 8. *ff. qui potiores.* ita nec dos. *communis opinio in d. l. aſſiduis* 12. ut fiſcus præfertur anterioribus creditoribus generalem tantum habentibus in bonis debitoris poſtea quæſitis. *l. ſi qui mihi* 28. *ff. de jure fiſci. l.* 3. *J. h. t.* ſic & dos: quia in ambiguis doti favendum eſt. *l. in ambiguis.* 85. *ff. de regulis.* Salicet. *in d. l. aſſiduis* 12. (licet Gloſſa ibidem contrarium ſentiat). Ut fiſci obligatio præſumitur privati obligationem præceſſiſſe *l.* 1. *J. de jure fiſc.* ſic & dotis obligatio. Salicet. *d. l. aſſiduis* 12. Melior eſt tamen fiſci conditio in cauſa primipili, id eſt, annonæ militaris, quam conditio dotis. *l.* 1. *ſupr. h. t.* Contra quibusdam caſibus potior eſt cauſa dotis quam fiſci: quia tacita mulieris præfertur privati creditoris tacitæ, licet anteriori. *d. l. aſſiduis.* Salicet. *Authent. quo jure. J. qui potiores:* fiſcus tamen non item, *l. unica C. rem alienam gerentibus. l. ſi pignus.* 8. *ff. qui potiores.* Plateus *l. unica. J. pœnis fiſcalibus credit. præferri.* Item tacita dotis hypotheca, licet poſterior, præfertur fiſco, bona alicujus occupare volenti ex cauſa maleficii, quia in delictis fiſcus tacitam hypothecam non habet. *Gloſſ. in d.* §. *fiſcus & l. reſcriptum.* 10. *ff. de pactis.* 24 Inter mulierem & fiſcum ſervatur ordo temporis. Quid ſi mulier concurrit cum privato antiquiore? privatum vincit. *l. aſſiduis.* 12. *J. qui potiores.* concurrens cum fiſco antiquiore, vincitur. Concurrens cum privato & fiſco antiquioribus (demus maritum contraxiſſe cum privato, ac fiſcum cum muliere) vincit privatum & fiſcum; fiſcum quidem non concurrendo cum fiſco, ſed concurrendo cum privato, eumque vincendo qui jam vicit fiſcum. vid. Anton. Mercatorem 3. *Notar.* 14. Robert. 3. *Animadverſ.* 14. 25 Uxor ſolvens fiſco mariti nomine in hypothecam fiſci non ſuccedit, niſi ei ceſſa ſit actio. vid. *l.* 7. *J. h. t.* Ideoque ſi maritus denuo conduxit vectigalia, potior erit cauſa fiſci quam mulieris. Cur ita? fiſcus præfertur omnibus hypothecam non habentibus: mulier ſolvens pro marito tacitam hypothecam in bonis mariti non habet. 26 *l.* 2. *J. in quib. cauſ. pign. l.* 46. §. 3. *ff. de jure fiſci.* 27 Si quis diſtraxerit, & poſtea fiſco debuerit, a fiſco non convenitur is qui ab eo rem comparavit. *Synopſ. d. tit.* 9. *c.* 4. Privilegium fiſci non extenditur ad bona debitoris, vendita antequam contraxerit cum fiſco, *ut hic, & l.* 1. *J. de conveniend. fiſci debitoribus. l.* 9. §. 2. *infr. de bonis proſcript. l.* 15. *ff. de donat.* niſi in fraudem fiſci alienatum. *l.* 1. *J. de jure fiſci.* 28 Fiſcus poteſt ex ſuo privilegio pecuniam creditori ſolutam ſine uſuris revocare. *l.* 19. *ff. de jure fiſci.* 29 Cur ſine uſuris? fiſcus rem perſequitur, non perſonam. In perſecutione in rem uſuræ non veniunt. *l.* 62. *ff. de rei vind.* 30 Id eſt, creditor pecuniam recipit ut ſuam, non ut mutuum fœneratitium quod ei auferri non poteſt, niſi extraordinaria perſecutione, in quam uſuræ venire non poſſunt. 31 Id eſt, cognitione præſidis: puta ſi debitor non ſit ſolvendo. 32 Sui ſcilicet privilegii. 33 Soluta plerumque pecunia creditori aufertur, *ut hic, & l.* 6. §. 2. *ff. de reb. aut. jud. l.* 24. *ff. quæ in fraudem cred. l.* 18. §. *ult. l.* 19. *ff. de jure fiſci.* 34 Debitor filiam in fiſci præjudicium dotare non poteſt, & ſi dotaverit, dos retrahetur. 35 Imo ut judex non tranſtulerit, privilegiarii tamen ii quoque videntur, quorum pecunia ad privilegiatum pervenit. *l.* 2. *ff. de ceſſ. bon. l.* 24. §. 1. 2. *ff. de reb. aut. jud.* vid. Cujac. 18. *obſ.* 40. 36 Fiſco ſeu in jus fiſci ſuccedens, potior eſt illis creditoribus quibus & fiſcus præferebatur. *Synopſ. d. tit.* 7. 37 Privilegium fiſci transferri poteſt. *ut hic. & l.* 3. *C. h. t. l.* 45. §. 9. *ff. de jure fiſci.* Galli, *le faire ſubroger & mettre aux droicts du Roy.*

TIT. LXXIV.

DE PRIVILEGIO[1] DOTIS.

Privilegium, quod datur ratione perſonæ, ad heredes non tranſit. Bart.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Firmo.

SCire debes, privilegium dotis quo mulieres utuntur in actione de dote, ad[2] heredem non tranſire. PP. Kalend. Maji, POMPEJANO & AVITO CONSS. 210.

TIT. LXXV.

DE REVOCANDIS[3] HIS, QUÆ IN FRAUDEM[4] CREDITORUM ALIENATA[5] SUNT[6].

Alienatis bonis a debitore in fraudem creditorum, ſupereſt poſtea creditori actio perſonalis contra debitorem, & revocatoria contra eum, in quem facta eſt alienatio. Bald.

1. Imp. ANTONINUS A. Caſſiæ.

HEres, qui poſt aditam hereditatem ad eum, cui res ceſſit, corpora hereditaria tranſtulit: creditoribus permanſit obligatus. Si igitur in fraudem tuam id fecerit: bonis ejus excuſſis[7], uſitatis actionibus (ſi tibi[8] negotium geſtum fuerit) ea, quæ in fraudem alienata probabuntur, revocabis. PP. 2. Id. Octob. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

Pater non poteſt dotare filiam in præjudicium creditorum.

2. Imp. ALEXAND. A. Symphorianæ.

SI ſucceſſione patris abſtenta[9] fuiſti: ob ea, quæ in dotem[10] data ſunt convenire te creditores nequeunt, quibus pignora in dotem data non docentur: niſi bonis defuncti non ſufficientibus, in fraudem creditorum dotem conſtitutam probabitur. PP. 10. Kalend. Julii, PROBO, & MAXIMO CONSS. 233.

Filius, qui nihil poſſidet de bonis paternis, nec titulo donationis, nec alio, non poteſt a creditoribus paternis conveniri. Bald.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Acyndino.

SI paterna[11] hereditate abſtinuiſti[12], nec quicquam in fraudem creditorum ex bonis ejus in te donationis[13] jure transſcriptum eſt: a privatis creditoribus Præſes provinciæ conveniri te non patietur. PP. 10. Kalend. Jul. ipſis IV. & III. AA. CONSS. 290.

Heres non revocat alienata in fraudem a defuncto. Salic.

4. Iidem AA. & CC. Epagatho.

FIlios[14] debitoris, ei ſuccedentes, veluti in creditorum fraudem alienatorum facultatem revocandi non habere, notiſſimi juris eſt. Subſcripta 10. Kal. Maji, AA. CONSS.

5. Iidem AA. & CC. Creſcentio.

IGnoti juris non eſt, adverſus eum, qui ſententia condemnatus, intra ſtatutum tempus[15] ſatis non fecit, nec defenditur, bonis poſſeſſis, itemque diſtractis: per actionem in factum contra emptorem, qui ſciens[16] fraudem comparavit, & eum, qui ex lucrativo[17] titulo poſſidet, ſcientiæ mentione detracta, creditoribus ſuis eſſe conſultum. S. 10. Kal. Novembr. AA. CONSS.

6. Iidem AA. & CC. Menandræ.

SI actu[18] ſolenni[19] præcedentem obligationem peremiſti: perſpicis adverſus fraudatorem intra[20] annum[21] in quantum facere poteſt, vel dolo malo fecit, quominus poſſit, Edicto perpetuo tantum actionem permitti.

1 Privilegia dotis varia ſunt, de quibus vide Baldum Novellum, Campegium, & alios *in tractatib. de dote. Nov.* 97. *cap.* 3. & 109. & 29. *Ecl.* 1. vid. Baldum *ad l.* 1. *ff. ſoluto:* Oldend. *cap.* 13. *de jure ſingulari.* Fiſci privilegiis dos in tacitis hypothecis fruitur, & cum fiſco paribus paſſibus eo caſu ambulat, de quo vid. quæ diximus *ad l.* 2. *J. tit. prox.* 2 Privilegium dotis non tranſit ad heredem extraneum mulieris, *ut hic. Synopſ. Baſil.* 7. *tit.* 6. *ex tit.* 9. Imo ad heredem indefinite tranſit. *l.* 13. §. 3. *ff. de fundo dotali.*

3 In Gallia literis regiis hujuſmodi revocatio fieri debet. Rebuff. *proœm. conſt. gl.* 5. *n.* 102. 4 Dixi ad *L.* 42. *D.* 8. & §. 6. *Inſt. de act.* 5 Alienandi verbum latiſſime patet. *l.* 1. *in fin. ff. h. t. l. ult. ſupr. de reb. alienis non alienandis.* 6 Per actionem Paulianam ſcil. de qua vide Oldend. *Claſſ.* 6. *act.* 1. 7 Pauliana adverſus poſſeſſorem non competit, niſi bonis debitoris excuſſis. 8 *Sicut negotium* &c. quidam ita legunt. vide Cujac. 7. *obſerv. ult.* Putat autem intelligi uſitatas actiones in factum quæ rem geſtam demonſtrant. *l.* 6. *C. de transact.* 9 Vide *l.* 3. *infr. h. t.* 10 Dos filiæ in bonis patris non eſt. vide *l.* 11. *ff. quib. mod. pign.* 11 Dos in fraudem creditorum conſtitui non poteſt. facit *l.* 13. *C. de don. ante nupt. l.* 6. *C. de privil. fiſci.* vid. tamen *l. ult. J. de primip. lib.* 12. *tit.* 63. *Syn. Baſil.* 2. *tit.* 6. *tit.* 8. *c.* 17. & 3. Harm. 5. §. 51. 12 *l.* 2. *in pr. C. h. t. l.* 4. *ſupr. arbitr. tut. l.* 22. §. 1. *verſ. ſimilique. ſupr. de jure deliberandi. l.* 1. *ſupr. de repudianda hered. l.* 4. *J. de primip. l.* 57. *ff. de adquir. vel omitt. heredit.* Abſtinendi verbum hic pertinere ad emancipatum filium Cujacius putat. Nam emancipatus abſtinere dicitur. 13. *obſ.* 33. 13 Donare in fraudem creditorum non poſſumus. 14 Filii non revocant alienata in fraudem, ne patris alioquin turpitudinem detegant. 15 Utilis anni. *l. ult. infr. h. t. l.* 6. *in fin. l.* 10. §. 18. *ff. h. t.* 16 Adde *l.* 1. *l.* 6. §. 8. *l.* 10. *ff. h. t.* 17 Revocatoria quoties actione agimus, qualitas alienationis ſpectanda, quippe ſi titulo lucrativo res alienata eſt, fraudem dantis interveniſſe ſufficit: Sin vero oneroſo, dantis ſimul, & accipientis interveniſſe neceſſe eſt. *l.* 6. §. 11. *ff. h. t.* 18 Actus ſolennis ſtipulatio. 19 Puta acceptilatione. *l.* 1. *in fin. ff. h. t.* 20 Vide ad hanc legem difficilem ſatis, Cujac. 12. *obſ.* 5. 21 Vid. *l.* 5. *in pr. C. h. t.*

D. JUSTINIANI

SACRATISSIMI PRINCIPIS, PP. A.

CODICIS

REPETITÆ PRÆLECTIONIS,

LIBER OCTAVUS.

TIT. I.

DE INTERDICTIS[1].

Interdicta, ne rami arborum noceant, per identitatem rationis extenduntur, ne earum radices officiant. Bart.

1. Imp. ALEXANDER A. Evocato.

CUm[2] proponas, radicibus[3] arborum in vicina Agathangeli area[4] poſitis creſcentibus, fundamentis domus tuæ periculum afferri: Præſes, ad exemplum interdictorum, quæ in albo[5] propoſita habet [Prætor,] *Si arbor in alienas ædes impendebit:* item, *Si in alienum agrum impendebit:* quibus oſtenditur, nec[6] per arboris quidem occaſionem vicino nocere oportere, rem ad ſuam æquitatem rediget. PP. 6. Kal. April. JUL. II. & CRISPINO CONSS. 225.

2. Impp. VALER. & GALLIEN. AA. Meſſiæ[7].

PRæſes provinciæ in eum, qui ejusdem[8] provinciæ non eſt, nec ex interdicto[9] poteſt cognoſcere. PP. 7. Kalend. Maji, SECULARE, & DONATO CONSS. 261.

Poſſeſſorium præfertur petitorio, cum de utroque ſimul eſt quæſtio, & ſuccumbens in eo, debet probare in petitorio, & agitur interdictorum exemplo. Salic.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Pompejano P. P.

INcerti juris non eſt, orta proprietatis & poſſeſſionis lite, prius[10] poſſeſſionis decidi oportere quæſtionem competentibus actionibus, ut ex hoc, ordine facto, de dominii diſceptatione probationes ab eo, qui de poſſeſſione victus eſt, exigantur. Interdicta autem licet in extraordinariis[11] judiciis proprie locum non habent, tamen ad exemplum[12] eorum res agitur. Subſcripta Kal. Januar. *Sirmii*, ipſis AA. CONSS.

Ille, qui proponit interdictum in limine judicii, tenetur actionem exprimere. Bald.

4. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Æmiliano P. P.

SI quis quodlibet interdictum efflagitet, ruptis veteribus ambagibus[13], inter ipſa cognitionum auſpicia[14] actionem[15] exprimere[16], ac ſuas allegationes jubeatur proponere. Dat. 13. Kal. Auguſt. *Conſtantinop.* ARCADIO A. VI. & PROBO CONSS. 406.

1 Dixi ad *L.* 43. *D.* 1. Interdicta ſuntne hodie uſitata? vid. *l.* 3. & 4. *J. eod. & l. ult. J. de liber. exhib. & ff. de interdictis ſive de extraordinariis actionibus quæ pro his competunt.* 2 Arbor ſi vicini in media area poſita magnis actis radicibus, domus meæ fundamentis periculum affert: cogitur vicinus prætoris ſeu magiſtratus providentia eum excidere. 2. Harmenop. 4. §. 102. 3 Interdictum *Ne rami arborum noceant*, per identitatem rationis extenditur, ne arborum radices officiant. 4 Ἐν τῷ μεσαυλίῳ. 5 Interdicta in albo propoſita. vid. Cujac. 5. *obſ.* 17. *in princ.* Goth. Adde Cujac. *lib.* 8. *obſ. cap.* 15. Duaren. 1. *cap.* 13. Leonin. *Emendat. lib.* 5. *cap.* 8. Anſ. 6 Neque per arboris quidem occaſionem vicino noceri oportere. 7 Adde *l.* 1. *ſupr. ubi de hered. agat.* 8 *d. l.* 1. vid. *l. ult. ff. de juriſd.* his adde quæ ſcripſi ad *l.* 3. *ff. eodem.* Goth. Intellectum hujus l. vid. apud Joh. Zanger. *de except. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 320. 321. Anſ. Adde Cujac. *lib.* 5. *obſ. cap.* 19. S. L. 9 De poſſeſſione ſcil. plerumque enim interdicta fiunt de poſſeſſione, vel quaſi. vid. Cujac. 5. *obſ.* 19. 10 Cauſa poſſeſſionis ante proprietatis cauſam deciditur. Poſſeſſorium præfertur petitorio, id eſt, petitorium cauſamque proprietatis præcedit. §. 4. *Inſt. h. t. l.* 3. *ſupr. fin. regund. l.* 37. *ff. de judiciis. l.* 13. *ſupr. de rei vind. l.* 35. *ff. de adq. vel amitt. poſſ. l.* 1. §. 3. *ff. uti poſſidetis.* 2. *Feud.* 4. & 20. & 82. Unde colligitur, Interdictum retinendæ poſſeſſionis cum petitorio proponi ſimul non poſſe: ne ſibi contrarius actor videatur. facit *l. ult. ff. de jud. l. ordinarii.* 13. *ſupr. de rei vind.* Fallit, ſi agitur de re incorporali. *c. paſtoralis* 5. *extr. de cauſa poſſ. & propriet.* aut diverſis poſſeſſionibus: poteſt enim quis petitorio experiri ad poſſeſſionem naturalem adipiſcendam: ut & retinendæ interdicto agere, ad civilem defendendam. Bart. *l. naturaliter.* 12. §. *nihil commune.* 1. *ff. de adq. vel amitt. poſſ.* Quid? interdictum recuperandæ vel adipiſcendæ, poteſtne ſimul una cum petitorio proponi? poteſt. *l.* 18. *ff. de vi. l.* 10. *ſupr. de judic.* ubi dixi. Cujac. 7. *obſ.* 35. adde Socinum *reg.* 187. 11 Quæ non concepta a Prætore formula impetrabantur. Frontinus & Agenus *in lib. de limitibus agror.* oſtendunt, jure ordinario ex interdictis actum fuiſſe. adde *l.* 47. *ff. de negotiis.* 12 Hodie ex interdictis non agimus veteri more per formulam: ſed extra ordinem non directo, ſed utiliter: non directo, ſed quaſi interdicto ſive exemplo interdicti, *ut hic & l. ult. J. h. t. l. ult. J. de lib. exhib. l.* 2. 4. *J. unde vi.* id eſt, actione in factum. §. *ult. Inſt. h. t.* Inde titulus Pandectarum, *de interdictis ſive extraordinariis act. quæ pro his competunt.* 13 Id eſt, omiſſo veteri ordine. *l.* 3. *ſupr. h. t. l.* 3. *infr. tit. prox.* ordine, inquam, adeundi Prætoris impetrandæ formulæ. vid. Cuj. 5. *obſ.* 17. remotis denunciationum & temporum ambagibus, de quibus dixi ad *l.* 2. *ſupr. ſi ex plurib.* 14 Id eſt, confeſtim. 15 Utilem in factum. 16 Dixi ad *l.* 2. *ſupr. ſi ex plurib. tut.*

TIT. II.

QUORUM BONORUM[1].

Qui habet bonorum poſſeſſionem, non poſſidet: ideo pro adipiſcenda poſſeſſione debet illud interdictum proponere, & de ſuo jure docere.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Juſto.

HEreditatem[2] ejus quem patrem tuum fuiſſe dicis, petiturus, judicibus qui ſuper ea re cogrituri erunt, de fide intentionis[3] allega. Quamvis enim bonorum poſſeſſionem, ut præteritus agnoviſti, tamen[4] interdicto, *quorum bonorum*, non aliter poſſeſſor conſtitui poteris, quam ſi[5] te defuncti filium eſſe, & ad hereditatem, vel[6] bonorum poſſeſſionem admiſſum probaveris. PP. 8. Kalend. Januar. LATERANO, & RUFINO CONSS. 198.

Succedens ab inteſtato ſorori patrueli per bonorum poſſeſſionem unde agnati, bona hereditatis avocat ab injuſtis poſſeſſoribus per interdictum, Quorum bonorum. Bald.

2. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Marco.

SI ex edicto ſororis patruelis inteſtatæ[7] ſine liberis defunctæ, recte petita bonorum poſſeſſione quæſiſti ſucceſſionem, ac negotium integrum[8] eſt: quæ cum moreretur, ejus fuerunt, ſecundum interdicti, *quorum bonorum*, tenorem ab[9] his, qui pro[10] herede, vel pro poſſeſſore poſſident, dolove malo fecerint, quo magis deſierint poſſidere, tibi Rector provinciæ reſtitui efficiet. PP. 6. Kal. April. CC. CONSS.

Conſanguinei defunctæ in ſucceſſione præferuntur ejus viro, & exceptio dominii requirens altiorem indaginem in hoc interdicto contra negantem non debet admitti. Salic.

3. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Petronio Vicario Hiſpan.

COnſtat[11] virum[12] a bonis inteſtatæ uxoris ſuperſtitibus conſanguineis eſſe extraneum: cum prudentium omnia reſponſa, & lex ipſa naturæ ſucceſſores eos faciant. Ergo jubemus, ut omnibus fruſtrationibus[13] amputatis, per interdictum *quorum bonorum*, in petitorem corpora transferantur, ſecunda actione proprietatis non excluſa. Dat. 6. Kalend. Auguſt. *Mediolani*, OLYBRIO, & PROBINO CONSS. 395.

TIT. III.

QUORUM[14] LEGATORUM[15].

Heres contra legatarium poſſidentem habet hoc interdictum, ut ſibi poſſeſſionem reſtituat, ut poſſit Falcidiam retinere. Bart.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Latinæ.

HEredi[16] ſcripto ſatis idonee[17] lege Falcidia, ſi exhauſta legatis ſucceſſio probetur, per quartæ retentionem proſpectum eſt. Unde ſi legatarius, vel fideicommiſſarius non conſentiente patre tuo, quem adſeveras teſtatori ſucceſſiſſe, & bonorum poſſeſſionem accepiſſe, relicta ſibi legata, vel fideicommiſſa detinuit: ſecundum ſententiam interdicti[18], quod adverſus legatarios ſcriptis heredibus propoſitum eſt, oblata[19] ſatisdatione, quam præſtari oportet, in poſſeſſionem te conſtitui, ut ita retentione[20] competenti utaris, experiri potes. Dat. 16. Kal. Jun. AA. CONSS.

TIT. IV.

UNDE[21] VI.

De vi propulſanda.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Theodoro.

REcte poſſidenti, ad defendendam poſſeſſionem, quam ſine vitio tenebat, inculpatæ[22] tutelæ moderatione illatam vim[23] propulſare[24] licet[25]. PP. 15. Kalend. Decembr. ipſis IV. & III. AA. CONSS. 290.

De anno, de heredibus.

2. Iidem AA. & CC. Alexandro.

VI[26] pulſos reſtituendos[27] ex interdicti exemplo[28] ſi necdum utilis[29] annus exceſſerit, certiſſimi juris eſt: & heredes[30] non in tantum, quantum[31] ad eos pervenit. S. AA. CONSS.

De violenta poſſeſſione non tuenda.

3. Iidem AA. & CC. Ulpiæ & Proculinæ.

AUctoritatem vobis Reſcripti[32] noſtri tenendæ poſſeſſionis, quam vos per violentiam adeptam profitemini, accommodari improbe poſtulatis. S. 8. Id. April. CC. CONSS.

De criminali & civili judicio. De fructibus.

4. Iidem AA. & CC. Hygino.

SI de poſſeſſione vi dejectus es, eum & lege Julia[33] vis privatæ reum poſtulare, & ad inſtar[34] interdicti *unde vi* convenire potes, quem rerum cauſam[35] omnem præſtare oportet: in qua fructus[36] non quos vetus poſſeſſor percipere potuit, non [tantum] quos prædo percepit, venire non ambigitur. S. 6. Id. April. *Sirmii*, CC. CONSS.

De vi, errore, & domini incuria.

5. Imp. CONSTANTINUS A. ad Tertullianum.

INvaſor[37] locorum pœna teneatur legitima[38]: ſi tamen vi loca eadem[39] invaſiſſe conſtiterit: Nam ſi per errorem aut incuriam[40] domini loca[41] ab aliis poſſeſſa ſunt: ſine pœna poſſeſſio reſtitui[42] debet. Dat. 6. Kalend. Maji, GALLICANO & SYMMACHO CONSS. 330.

De reſcriptis & ſententiis. De tutoribus & curatoribus.

6. Imppp. GRAT. VALENT. & THEOD. AAA. Potito P. V.

MEminerint cuncti, ſive vulgato[43] manſuetudinis noſtræ, ſive[45] ſententia cujuslibet judicis utantur in cauſis, conveniendos[46] dominos locorum eſſe: aut ſi forte defuerint, certe actores ad inſinuandas ſententias, procuratoreſque eſſe quærendos, ne inde[47] injuriarum naſcatur occaſio unde jura naſcuntur. Quod ſi præcepta noſtra implere neglexerint: omni negotio de quo jurgant ceperant, privabuntur. §. 1. Sin autem habito plerumque colluſio[48], curatores vel tutores minorum his rem debitam ea occaſione prævertunt, ut pupillis vel adultis jurgandi copia & facultas adimatur: his eatenus ſubveniendum, ut eosdem non atterat[49] damno culpa temeritatis alienæ: ſed illico[50] quidem poſſeſſio ei a quo eſt ablata, reddatur: curatores autem vel tutores æterna deportatione puniti, bonorum quoque publicatione perſequatur. Dat. 2. Non. Aprilis, ANTONINO & SYAGRIO CONSS. 382.

Pœna invaſorum.

7. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. ad Meſſianum Com. rerum privatarum.

SI[51] quis[52] in tantum furoris[53] pervenerit audaciam[54], ut poſſeſſionem rerum apud fiſcum, vel apud homines quoslibet[55] conſtitutarum ante adventum judicialis arbitrii violenter invaſerit[56]: dominus quidem conſtitutus poſſeſſionem quam abſtulit[57], reſtituat[58] poſſeſſori, & dominium ejusdem rei amittat[59]. Si vero alienarum rerum poſſeſſionem invaſit: non ſolum eam poſſidentibus reddat[60], verum etiam æſtimationem earundem rerum reſtituere compellatur. Dat. 17. Kal. Jun. *Treveris*, TIMASIO & PROMOTO CONSS. 391.

De momentaria poſſeſſione.

8. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Paſiphilo[61].

1 *L. 4. C. Th. 20. & 43. D. 2. §. 3. Inſt. de interdict.* unde ita dictum vide *l. 1. ff. eodem.* 2 Id eſt, poſſeſſionem rerum hereditariarum. 3 Id eſt, proba te eſſe filium. 4 Probationes factæ in judicio ſummario, fidem non faciunt in eo ubi plena cauſæ cognitio requiritur, *ut hic:* niſi probationes ipſæ de quibus agitur, confeſſiones ſint partis, aut in ipſo ſummario judicio ſint etiam receptæ: niſi denique aliud conventum inter ipſos litigatores. Socinus *regul.* 311. 5 Agens hoc interdicto non aliter adipiſcitur bonorum poſſeſſionem, quam ſi judici probaverit ſe filium eſſe, ſi tanquam filius præteritus petierit bonorum poſſeſſionem contra tabulas. 6 Hæc particula adjecta eſt, ἐκ τοῦ παραλλήλου: nam hoc interdictum datur bonorum poſſeſſori non heredi qui jure civili heres extiterit. 7 Interdictum hoc competit etiam ab inteſtato. 8 Hoc interdicto uſurus probare debet ſe bonorum poſſeſſionem agnoviſſe cum re. vid. Cujac. *hic.* 9 In quos detur hoc interdictum. 10 *l. 1. ff. h. t.* 11 *l. un. C. Theod. h. t.* 12 Conſanguinei defunctæ in ſucceſſione præferuntur defunctæ marito. *l. un. ſupr. unde vir & uxor.* 13 Remota denunciatione ſolenni & obſervatione temporum. *l. 4. ſupr. de interdictis.*

14 *Quod legatorum*, *L. 43. D. 3.* 15 Legatarius propria autoritate ante aditam hereditatem occupans rem legatam, tenetur rem reſtituere heredi, ut Falcidiam detrahat. vid. *l. 1. §. 2. ff. h. t.* 16 Executionem ſententiæ, vel inſtrumenti in ſingularem ſucceſſorem non dari, ſed heredes tantum obligari; licet in ipſa ſententia nulla facta ſit eorum mentio, Baldus ad hanc legem notat: ut & Accurſius in *l. ea lege.* 3. *ſupr. de cond. ob cauſam.* Angelus *l. ſi debitori.* 2. *ſupr. ſi adverſus creditorem præſcriptio opponatur.* niſi reus principalis nomine creditoris, in inſtrumento confeſſus ſit ſe poſſidere, hoc enim caſu ſingularem etiam ſucceſſorem conveniri notat Socinus *reg.* 235. 17 Lege Falcidia datur quartæ retentio exhauſta legatis ſucceſſione. vid. Cujac. 2. *obſ.* 2. & 10. *obſ.* 28. 18 Interdictum *quorum legatorum* datur ſcriptis heredibus adverſus legatarios & fideicommiſſarios non conſentientibus heredibus legata, vel fideicommiſſa detinentes. 19 Offerre ſatisdationem legatario bonorum poſſeſſorem non cogi, ſed ſatis eſſe, ut moram non admittat legatario ſatisdationem petenti, ex hoc loco notant: & breviter in facti obligationibus, neminem offerre cogi, cum ſufficiat interpellatum moram non facere. quod tamen negant verum eſſe, quoties dies legato adjecta eſt: quoties heres jurejurando interpoſito aut geminatis verbis a teſtatore legatum præſtare damnatus eſt: quoties denique in ipſo actus qui geritur, momento, oblatio præciſe requiritur: his enim caſibus offerendam eſſe ſatisdationem, notat Socinus *reg.* 299. 20 Vide *l. 10. ſupr. ad l. Falcid.*

21 *§. 6. Inſt. de interdict. 4. C. Theod.* 21. adde *tit. De vi & vi armata. L. 43. D. 16.* Hoc interdictum recuperandæ poſſeſſionis eſt: Cujus cauſa, Prætor: materia, res immobiles: Forma, vi dejectio: Effectus, reſtitutio poſſeſſionis, & ejus quod intereſt. 22 Inculpata tutela æquabilis, & remota ab omni culpa, quæ defendendo, non ulciſcendo ſervatur. vid. Cujac. 5. *obſ.* 18. Quid ſi quis modum in ſe defendendo exceſſit: & occidit, cum poſſet effugere? Bartolus *in cap. 1. de pace Conſtantiæ.* & poſt eum Romanus *ſing.* 2. negant, eum teneri de occiſo: ſed ut reum puniri arbitrio judicis. *arg. l. 4. J. ad l. Jul. de adult.* 23 Quid? convicium convicio licetne propulſare? vide Gailium 2. *obſ.* 100. 101. 24 *l. 1. §. 27. l. 17. ff. de vi & vi. l. 3. ff. de juſtitia.* 25 Inde colligi volunt, præſumi pro vivente adverſus interfectum: hunc ſcilicet aggreſſorem fuiſſe. vide Alciatum 3. *præſumpt.* 39. 26 Vi dejectus de poſſeſſione, interdicto *unde vi* reſtituitur intra annum. In heredes vero non agitur, niſi in quantum ad eos pervenit. *Synopſ. Baſil.* 10. *titul.* 2. *ex lib.* 10. *tit.* 3. *cap.* 51. & 1. Harm. 11. §. 9. 27 *l. 1. §. 3. ff. de vi & vi. §. 6. Inſt. de interdict.* 28 *l. 4. J. l. 3. l. 4. J. de interdict.* 29 *l. 1. §. 39. ff. h. t.* 30 *l. 1. in fin. ff. h. t.* 31 *l. 38. ff. de reg. jur.* 32 Violenta poſſeſſio, ne quidem reſcripto confirmari poteſt. *l. 6. J. h. t. l. 2. l. 3. ſupr. de precibus imper. l. 4. J. de emancip. l. 2. §. 10. ff. ne quid in loco publico. Synopſ. d. loco cap.* 52. & 1. Harm. 11. §. 11. 33 *l. 1. §. 2. ff. h. t. §. 6. verſ. Qui autem. Inſt. de interdictis.* 34 Vid. *l. 2. J. h. t. l. 3. J. de liber. exhib. l. 3. l. 4. J. de interdictis.* Idque criminaliter. *l. 1. J. quando civil. act.* vid. Cujac. 5. *obſ.* 15. 35 *l. 6. ff. h. t.* 36 *l. 1. §. 40. ff. h. t.* 37 *l. 7. J. h. t. l. 3. J. finium regund.* Eſt autem hæc lex interpolata a Triboniano, ut ex Frontino conſtat. adde Cujac. 19. *obſ.* 16. ubi de locis alienis invaſis agitur. 38 Id eſt, legibus Juliis. *l. 4. J. h. t.* vel lege ejusdem Conſtantini. *l. 6. l. 7. J. ad l. Jul. de vi.* pœna capitis vel deportationis, quæ differtur poſt negotii totius exitum, ut ait lex 14. *C. Theod. quorum appellat.* 39 Eundem. 40 Dum ſegnis eſt in inſpectione & conſervatione locorum ſuorum. 41 *Loca data ab aliis* &c. Cujac. 19. *obſ.* 16. 42 Interdicto reſtitutorio momentariæ poſſeſſionis, de quo v. *l. 8. infr. h. t.* 43 *l. 3. J. h. t.* 44 *l. 2. C. Theod. h. t.* 45 Reſcripto vel interlocutoria judicis nemini conceſſum eſt alienam poſſeſſionem ingredi. 46 Sententia, libelli conventione, *ut hic*, & *l. pen. J. de dignitatib.* vid. Cujac. *Novell.* 1. Goth. Adde Menochium *de recuperanda poſſeſſione remed.* 8. Fornerium *lib. 2. ſelect. c.* 11. Zoanettum *rerum quotid. c.* 25. Lapum *allegat.* 101. Mod. 47 Inde injuria naſci non debet, unde jus naſcitur. adde *l. 1. in fin. J. de his qui ven. ætat. l. 2. J. de indict. viduit. l. 19. J. de teſtam.* 16. *q.* 6. *can.* 2. 48 Colludium tutoris. 49 Imo atterit. *l. 2. ſupr. de his quib. ut indign.* 50 *l. 12. §. 1. ff. de adq. vel amitt. poſſ.* 51 Si quis vi res vel fiſci, vel alterius alicujus poſſidentis, abſque juſſu judicis ademerit, ſi quidem dominus eſt, rem amittit: ſin aliena res erat, non ſolum eam reddit ei qui rapinam paſſus eſt, verum etiam ipſius æſtimationem. *Synopſ. Baſil.* 10. *tit.* 2. *ex lib.* 50. *tit.* 3. *cap.* 57. vel ita, De finibus litigans, ſi nondum finita lite locum, de quo eſt controverſia, occupaverit, & poſtea victus fuerit, alterum tantum victori præſtat: ſin locus ipſius proprius fuerit, ſufficit eum loco ipſo excidere. *Synopſ.* 58. *tit.* 9. *ex lib.* 60. *tit.* 31. *cap.* 3. Goth. Hæc lex canonizata eſt in *can.* 13. *cauſ.* 1. *q.* 4. Anſ. 52 *l. 3. verſ. illi vero. Cod. Theod. unde vi.* 53 De furoris audacia, *l. 2. J. de aquæd.* dixi *l. 6. in fin. pr. J. de appell.* 54 Vide Sarmientum *lib. 2. ſelect. c.* 13. Covarruviam *lib. 3. var. reſol. c.* 16. Menochium *ubi ſup. remed.* 9. Pileum *q.* 86. & 87. Alphonſ. de Caſtro *de poteſt. leg. pœnalis lib. 1. c. 5. primo documento.* Mod. 55 An idem jus eſt in rebus Eccleſiaſticis? negat Socin. *reg.* 292. in duobus caſibus. 56 *l. 5. ſupr. h. t.* 57 Autoritate propria rem controverſam nemo jure capere poteſt, *ut hic.* Quid ſi debitor ipſe fugiat, *ut in l. ait.* 10. §. *ſi quis debitorem.* 16. *ff. quæ in fraud.* Quid ſi nocturnus ſit depopulator, *ut in l. 1. J. quando liceat.* Quid ſi ita conventum, ut liceret propria autoritate capere? vid. *l. 2. J. de pign.* Quid ſi de legato controverſia ſit? vid. *l. 5. J. de legatis.* Actori jus prehendendi eſſe notat Socinus *reg.* 34. 58 Prima pœna invaſoris. adde *l. 10. J. h. t. l. 13. in fin. ff. de eo, quod met. cauſ. l. un. in fin. ſupr. de ſuffrag. l. 54. J. de decur. l. 176. ff. de reg. jur. §. 1. verſ. ſed ne, dum. Inſt. de vi bon.* §. 6. *Inſt. de interd.* 2. *Feud.* 27. §. 2. *in fin.* 59 Altera pœna. 60 Immo non reddit. *C. Theod. de l. 55. ff. de furt.* 61 Paſſibo, *l. 8. verſ. momentariæ etiam poſſeſſionis. C. Theod. de juriſd.* qua ex conſtitutione tres leges deſumptæ ſunt, hæc ſcil. *l. pen. J. de accuſ. l. 1. J. de abigeis.* qua de re vid. Cujac. 1. *obſ.* 20.

Momen-

MOmentariæ[1] poſſeſſionis interdictum[2], quod non ſemper ad vim publicam pertinet[3], vel privatam, mox audiri, interdum etiam ſine inſcriptione meretur. Dat. 6. Idib. Jun. *Mediolani*, OLYBRIO & PROBINO CONSS. 395.

De jurejurando.

9. Imp. ZENO A. Sebaſtiano P. P.

SI[4] quando vis in judicio fuerit patefacta, deinde ſuper rebus abreptis, vel invaſis[5] vel damno dato tempore impetus quæſtio proponatur: ſi[6] non potuerit, qui vim ſuſtinuit, quæ perdidit, ſingula comprobare, taxatione[7] a Judice facta pro perſonarum atque negotii[8] qualitate; ſacramento[9] æſtimationem rerum quas perdidit, manifeſtet[10]: nec liceat ei ultra[11] taxationem[12] a Judice factam jurare[13]: & quod hujusmodi jurejurando[14] dato[15] fuerit declaratum, judicem condemnare oportet. Dat. Id. Decembr. *Conſtantinop.* poſt Conſ. BASILII II. & ARMATII V. C. 479.

De conductoribus & precario poſſidentibus.

10. Idem A. Sebaſtiano P. P.

NOn abs re eſt, quemadmodum poſſeſſionis alienæ invaſores[16], tam vetus quam præſens ſacra conſtitutio cenſuit eſſe puniendos: ita nec conductoribus[17], & poſſeſſionis alienæ detentoribus impune procedere, ſi locatoribus forte, vel poſſeſſionem rerum ſuarum, quam apud alios precario modo eſſe conceſſerant, recuperare ſecundum leges volentibus, cum nulla ſibimet cognita legibus allegatio competeret, duxerint reſiſtendum[18]: & non protinus, id eſt, non expectato judiciorum ordine[19], alienam poſſeſſionem recte eam recuperantibus, cedere patiantur. Eos namque jubemus pro tanta ſuæ iniquitatis impudentia, ſi cognitionis judiciariæ eventu fuerint condemnati: rei cujus poſſeſſionem ſponte reſtituere usque ad definitivam ſententiam minime paſſi ſunt, æſtimationem victrici parti una[20] cum ipſa re præbere compelli. Dat. 5. Kalend. April. *Conſtantinop.* THEODORICO & VENANTIO CONSS. 484.

De vacua poſſeſſione.

11. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

CUm quærebatur inter Illyricianam[21] advocationem quid fieri oporteret, propter[22] eos qui vacuam[23] poſſeſſionem abſentium ſine judiciali ſententia detinuerunt[24], quia veteres leges nec *unde vi*, interdictum, nec *quod vi*, *aut clam*, vel aliam quandam actionem ad recipiendam talem poſſeſſionem definiebant, violentia in ablatam poſſeſſionem minime præcedente, niſi domino tantummodo in rem actionem exercere permittentes: Nos[25] non concedentes aliquem alienas res, vel poſſeſſiones per ſuam auctoritatem uſurpare, ſancimus, talem poſſeſſorem, ut[26] prædonem intelligi, & generali juriſdictione ea teneri, quæ pro reſtituenda poſſeſſione contra hujusmodi perſonas veteribus declarata ſunt legibus. Ridiculum etenim eſt dicere vel audire, quod per ignorantiam alienam rem aliquis quaſi propriam occupaverit. † Omnes autem ſcire debent, quod ſuum[27] non eſt, hoc ad alios modis omnibus pertinere: cum talis depoſitio in furti actione jam dudum veteribus legibus definita eſt, dicentibus, ſi quis alienam rem adverſus[28] domini voluntatem attigerit, furti actione teneatur: his videlicet quæ ſuper recipienda poſſeſſione a nobis diſpoſita ſunt, locum habentibus, ſi[29] non ex die ex quo poſſeſſio detenta eſt, triginta[30] annorum exceſſerint curricula. Dat. 13. Kalend. Novembr. *Conſtantinop.* poſt conſulat. LAMPADII & ORESTIS VV. CC. Anno ſecundo 532.

TIT. V.

SI PER VIM[31] VEL ALIO MODO ABSENTIS[32] PERTURBATA SIT POSSESSIO.

Ad recuperandam poſſeſſionem abſentis admittuntur carentes mandato: ſupple, caventes de rato. Bald.

1. Imp. CONSTANTINUS A. Severo.

JUdices[33], abſentium qui cujuslibet rei poſſeſſione privati ſunt, ſuſcipiant in jure perſonas, & auctoritatis ſuæ formidabile miniſterium objiciant: atque ita tueantur abſentes, ut id ſolum diligenter inquirant, an ejus qui quolibet modo peregrinatur, poſſeſſio ablata ſit, quam propinquus, vel parens, vel proximus, vel amicus, vel colonus[34], vel libertus ſeu ſervus quolibet titulo retinebat: nec eos[35] qui dejecti ſunt abſentium nomine poſſidentes, quia minime ipſis deciſio[36] cauſæ mandata[37] ſit, ab experiunda[38] re ſecludant: nec ſi ſervi[39] ſint, eorum rejiciant in jure perſonas, quia[40] hujusmodi conditionis hominibus cauſas perorare fas non ſit. Sed poſt[41] elapſa quoque ſpatia recuperandæ poſſeſſionis legibus præſtituta, litigium eis inferentibus largiri convenit: ut eos momentariæ perinde poſſeſſioni [ſine ulla cunctatione] reſtituant, ac ſi reverſus dominus litigaſſet. Cui tamen [domino] quolibet[42] tempore reverſo, actionem poſſeſſionis recuperandæ indulgemus, quia fieri poteſt, ut reſtitutio propter ſervos infideles, vel negligentes propinquos, vel parentes, vel proximos, vel amicos, vel colonos, vel libertos interea differatur. Abſentibus enim officere non debet tempus emenſum, quod recuperandæ poſſeſſioni legibus præſtitutum eſt: ſed reformato ſtatu qui per injuriam ſublatus eſt, omnia quæ ſupererunt ad diſceptationem litigii, immutilata permaneant: judicio ſervato juſtis[43] legitimisque [abſentibus] perſonis: cum valde ſufficiat poſſeſſionem tenentibus abſentium nomine contra præſentium violentiam ſubveniri. Dat. 10. Kalend. Novembr. *Conſtantinopol.*[44] CONSTANTINO VII. & CONSTANTINO C. III. CONSS. 326.

Nec auctoritate reſcripti, nec auctoritate interlocutoria judicis poteſt non citatus de poſſeſſione repelli. Bald.

2. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Petronio Vicario Hiſpaniarum.

NEc[45] Imperiale reſponſum, quod ſupplicatio litigatoris obtinuit, nec interlocutio Cognitoris ex quacunque parte innovare poſſeſſionis ſtatum, eo qui rem tenet abſente, permittit: quia negotiorum merita, partium adſertione[46] panduntur. Datum 15. Kalend. Januar. *Mediolani*, CÆSARIO & ATTICO CONSS. 397.

TIT. VI.

UTI[47] POSSIDETIS.

Interdicto uti poſſidetis ille eſt in poſſeſſione tuendus, qui poſſidet non vi, non clam, non precario ab adverſario. Bald.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Cyrillo.

UTi[48] poſſidetis fundum, de quo agitur, cum ab altero, nec vi, nec clam, nec precario poſſidetis, Rector provinciæ vim fieri prohibebit: ac ſatisdationis[49], vel transferendæ[50] poſſeſſionis Edicti perpetui forma ſervata, de proprietate cognoſcet. Subſcripta 3. Id. Octobr. *Nicomediæ*, CC. CONSS.

TIT. VII.

DE TABULIS[51] EXHIBENDIS[52].

Pupillari ſubſtituto, ſi pupillus in pupillari ætate deceſſit, datur interdictum de tabulis teſtamenti exhibendis. Bald.

1. Impp. VALER. & GALLIEN. AA. Germano.

SI in poteſtate patris fuerunt impuberes filii, & vos eis eſtis ſubſtituti[53], atque ita ad vos intra pubertatem illis decedentibus cœpit hereditas pertinere: de exhibendis teſtamenti tabulis interdicto uti poteſtis[54]. PP. 7. Kal. Maji, SECULARI, & DONATO CONSS. 261.

1 Adde *l. un. ſupr. ſi de momentanea. l. ult. ſupr. qui legit.* 2 Hoc interdictum hodie vocatur *redintegrandæ poſſeſſionis:* cujus videtur uſus ex hac lege deductus & *l. 5. ſupr. h. t.* 3 Nam & alia ex cauſa quam ex vi publica hoc interdictum *unde vi* ad poſſeſſiones ablatas pertinet; veluti ſi ſub ſpecie & terrore reſcripti, aut judicati ablata poſſeſſio. *l. 6. ſupr. h. t. l. ult. infr. h. t. l. 2. infr. ſi per vim vel alio modo.* ad occupatam poſſeſſionem vacantem, abſente domino ſine autoritate judicis a non creditore, pertinet quoque hoc interdictum. 4 1. Harm. 6. §. 69. Goth. Vide in hanc legem Plot. *de in litem jurand.* & Petr. de Bell. Pertic. Anſ. 5 Vid. quæ not. *ad l. 15. §. 9. in fin. ff. quod vi.* 6 *l. 3. l. 7. ſupr. h. t.* 7 De taxationis verbo vid. Cujac. 2. *obſ.* 12. 8 Perveſtigat etiam judex locum ubi jactura facta fuerit. Harmen. *d. loco.* 9 Si damnum ab invaſore illatum liquido probari non poteſt, judex habita perſonæ qualitate, & ratione negotii, poteſt damnum definire, & poſtea juramentum actori deferre. Quid? heredi ſpoliati num juramentum quoque defertur? Mynſing. negat, 4. *obſerv.* 12. 10 Vid. Cujac. *ad Nov.* 18. 161. *Quinta parte.* 11 Ultra taxationem judicis non juratur. 12 Judex jubet rebus ita bene cognitis actorem jurare ad certam usque quantitatem: jurare denique, ὅτι οὐχ ἧττονα τῶν τοσούτων ἀπώλεσεν, quod his non minora detrimenta percepit. 13 Contra furem juratur. vid. Clar. 5. *ſent. §. furt.* 6. *verſ. item contra furem juratur.* 14 Probari jurejurando actoris vis, & id, quod intereſt, poteſt, *ut hic. Gloſſ. in c. qualiter. extr. de accuſ.* Cujus ſententiæ duas exceptiones vide apud Socinum *regul.* 190. qua in re priore loco vis ipſa probanda eſt. 15 Poſt ejusmodi juramentum probatio non admittitur. Tiraq. *de retract. gentil.* §. 4. *gl.* 1. *n.* 28. 16 *l. 5. l. 7. l. 9. ſupr. h. t.* 17 Coloni, & inquilini rei reſtitutionem denegantes ſine cauſa, in rem ejusque æſtimationem ſimul condemnantur. 18 Oppoſita dominii exceptione: de qua vid. Oldendorpium *c.* 34. *de except.* 19 Judiciorum ordo ſervandus. 20 *l. 34. ſupr. de locat.* 21 De Illyriciana advocatione alibi, ac perſæpe dictum eſt. 22 Si quis abſentis rem vacuam detinuiſſet, non conveniebatur olim nec interdicto, *unde vi*, nec *quod vi*, *aut clam:* ſed tantum actione in rem quamdiu dominus erat qui aberat. Hodie velut poſſeſſor, interdicto generali de vi tenetur. Nam ridiculum eſt dicere, putabam rem alienam meam eſſe. Itaque hic idem conſtituitur, quod de furti actione in duplum: in qua ſi quis alienam rem invito domino attingit, furtum committit. Ut interim ſciamus in hujus conſtitutionis ſpecie ſuperiora obtinere adverſus vacuæ poſſeſſionis detentorem, ſi non anni triginta præterierint, ex quo poſſeſſionem adeptus eſt. *Synopſ. Baſil.* 10. *tit.* 2. *ex lib.* 50. *tit.* 3. *cap.* 61. 23 *l. 6. ſupr. de adquir. & retin. poſſ.* 24 Id eſt, occuparunt: hoc innuit, Occupantem vacantem poſſeſſionem ad eam reſtituendam, furis, & invaſoris exemplo teneri. 25 Juſtinianus momentariæ poſſeſſionis interdictum primus dedit adverſus eum, qui vacuam poſſeſſionem occupavit. vid. Cujac. 19. *obſ.* 16. 26 Qui ſciens rem alienam vacantem occupat, quaſi prædo eſt. 27 Meum quod non eſt, alterius eſt, *ut hic*, & *l. 15. ff. de except. rei jud.* fallit in re ſacra aut nullius. 28 Furtum eſt contrectatio rei alienæ invito domino. 29 Præſcribi triginta annis jure civili rem furtivam ex hoc loco notatur. Eſt enim ſpecies hujus conſtitutionis de eo qui vacuam poſſeſſionem abſentis ſine judiciali ſententia detinet, quem hæc lex vocat ut prædonem, *ibi*, *uti prædonem intelligi*, quem denique hæc conſtitutio negat rem vacuam ita a ſe poſſeſſam præſcribere, ſi non ex die, ex quo poſſeſſio ab eo detenta eſt, triginta annorum ſpatium exceſſerit, *ut hic.* adde *l. 1. §. 1. ſupr. de annali except.* Quid? qui a quaſi prædone bona fide cauſam habent, quo tempore præſcribunt? longo tempore. §. *quod autem. Inſt. de uſuc. & ibi Angel.* Quid jure canonico? Poſſeſſor ipſe malæ fidei nullo tempore præſcribit, *c. poſſeſſor.* 2. ubi Dinus *de reg. jur. in 6. cap. ult. extr. de præſcript.* Qui vero ab eo cauſam habet, triennio. Cæpola *in l. 1. ſupr. pro emptore. num.* 10. 30 Condictio ex hac lege finitur tricennio.

31 *L. 43. D. 4.* 32 Interdictum *unde vi* competit etiam ei qui abſens expulſus eſt. 33 *l. 1. Cod. Theod. unde vi.* 34 *l. ult. ſupr. de adquir. & retin. poſſ.* 35 Vide *l. 3. ſupr. qui legitimam perſonam.* 36 *Dictio*, *d. l. 1. Haloand.* 37 In recuperanda abſentis poſſeſſione, admittuntur etiam carentes mandato, *ut hic*, ſi tamen de rato caveant. 38 *Experiundo ſecludant.* Hal. *experiunda re*, *d. l. 1.* 39 Pro recuperanda alteri poſſeſſione, etiam ſervus auditur. *d. l. 1. & l. 4. C. Theod. unde vi.* 40 Ratio dubitandi. 41 Id eſt, poſt annum. 42 Dominus reverſus auditur perpetuo. v. *l. ult. infr. tit. prox.* 43 *l. ult. ſupr. qui legitimam perſonam.* 44 *Mediol. Conſtantino A. VII. & Conſtantio Cæſ. Conſ. d. l. 1.* 45 *l. 5. Cod. Theod. unde vi.* Poſſeſſor citra conventionem in ſua poſſeſſione turbandus non eſt, ſeu reſcripto principis, ſeu interlocutione judicis. 46 *His horis cauſarum merita & fata panduntur. l. 1. ſupr. de offic. civil. judic.* vid. Cuj. 16. *obſ.* 8.

47 *L. 43. D. 17. §. 4. Inſt. de interdict.* vid. Cujac. 5. *obſ.* 32. vid. Feſtum *in verb. Poſſeſſio.* Eſt autem hoc interdictum, Retinendæ poſſeſſionis, cujus cauſa, Prætor: materia, res immobiles: Forma, ut qui poſſedit tempore turbationis, vel litis, non vi, non clam, non precario injuria afficiatur. Effectus, vim fieri vetari, & ſatisdari poſſeſſionis tranſlatio. 48 *l. 1. ff. h. t.* vid. Duaren. 1. *diſp.* 21. Robert. 3. *ſent.* 21. Goth. Adde Gœdd. *de contr. ſtipulat. cap. 5. num.* 289. & *de ſequeſtr. cap. 2. num.* 45. Anſ. 49 Reddito interdicto *uti poſſidetis*, ſi petitorio judicio agitur, ſatisdare *judicatum ſolvi* debet petitori is qui in poſſeſſione potior eſt: aut ſi non ſatisdat, in petitorem ſatisdantem transferenda poſſeſſio eſt, ita ut alteri incumbat onus probandi. vid. *verſ. olim. Inſt. de ſatisd.* Paul. 1. *ſent.* 11. §. 1. vid. *ibid.* Cujac. 50 Pœnæ cauſa transfertur poſſeſſio. *l. 5. §. 1. in fin. ff. ut legator. l. 2. in fin. ff. de collatione. l. 6. in fin. ff. de Carboniano. Nov.* 18. *cap.* 10.

51 *L. 43. D. 5.* 52 Illi cujus intereſt, legatario, fideicommiſſario, ſubſtituto, & ſimilibus. 53 Interdictum competit primis heredibus vel ſecundis, exiſtente cauſa ſubſtitutionis, *ut hic;* competit etiam legatariis aut fideicommiſſariis quorum intereſt. *l. 3. §. 10. ff. h. t.* 54 Quodnam intra tempus? Robertus 2. *recept.* 39. & 2. *animadv.* 14. putat perpetuo dari & poſt annum. Nam & hic anni nulla ſit mentio, & caſus ſubſtitutionis in hac lege poteſt annum excedere, quo nomine reprehenditur a Cujacio 16. *obſ.* 28. & Antonio Mercatore, 2. *Nota* 24. Notant itaque ex Paul. 4. *ſent.* 7. §. 6. interdictum *de tabulis exhibendis* annuum eſſe. Annum interdicti non cedere hac conſtitutione a morte patris, ſed pupillorum: a qua primum hereditas ad ſubſtitutos pertinere cœpit, cum ſuperſtitibus pupillis ad eos pertinere non potuerit. *l. 2. §. 2. ff. de vulg. l. 1. ff. de hered. vel action. vendita.*

TIT.